



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 175. S. Antoninus a Florentinis Orator decretus ad Papam

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.
A. C. 1455.

nonia Ordinis S. Francisci decrevit cum multis, amplisque muneribus, ut eos contra formidabilem hunc hostem excitaret. Verum hi nonnisi sub Pontificatu Pii II, qui Callisto successerat, Christianorum foederi accesserunt. Interea vero Papa omnium Pontificum primus Romæ portus construxit, atque ex pecuniis pro bello sacro collectis sexdecim triremes instrui iussit, eisdemque Ludovicum Patriarcham Aquilejensem præfecit, qui etiam per tres omnino annos Turcarum classes infestavit, quasdam Insulas eisdem eripuit, aliasque de hoste victorias reportavit. Exhibuerat Alphonsus quoque Rex unacum Duce Burgundiæ primo ingens Religionis studium, quod tamen brevi voluptatum lenocinia enervaverunt.

§. CLXXV.

S. Antoninus a Florentinis Orator decretus ad Papam.

Antonin. tit.
22. c. 14.

Æn. Sylv.
epist. 398.

Florentini comperta Pontificis inauguratione protinus suos mittebant Legatos, qui ei felicem, faustamque electionem gratulabantur, debitamque obedientiam offerebant. Hujus Legationis Princeps erat S. Antoninus Florentiæ Archiepiscopus, qui sui gregis nomine insignem ad Papam orationem habuit. Legavit itidem Fridericus Imperator Æneam

neam Sylvium, & Joannem Hinderbachium celebrem Juris consultum, quorum primus Cæsaris nomine coram Papa verba fecit, pari applausu cum eo, quem sibi jam in aliis ejusmodi occasionibus conciliaverat. Nec tamen deerant, qui Cæsari suadebant, ne prius ad profitendam Pontifici obedientiam Legatos decerneret, quam ipse conventa pacta cum Eugenio IV. erecta revocaret, ac Natio Germanica libertatem ac privilegia sua circa beneficiorum collationes consequeretur.

§. CLXXVI.

Æneæ Sylvi Oratio ad Papam nomine Cæsaris.

Æneas Sylvius ad Papam, & Cardinales orationem habuit, in qua exposcebat, necesse esse, ut Turcæ omnibus viribus opprimerentur, atque Hungaria ab eorum invasionibus jamjam regno impendentibus protegeretur. His subjunxit, Christianos armorum potentia Turcis longe prævalere; dummodo Sanctitas sua recto agminum ordini prospiceret; Imperatorem omnem quoque opem appromittere, Alphonsum itidem Arragoniæ Regem ad hoc bellum strenue suscipiendum paratas jam habere copias, nec quicquam Philippo Burgundiæ Duci cordi magis esse, quam arma Turcis inferre.

Sæcul. XV.
A.C. 1455.